

Wc
535



f.



H. 67, 36.

Wc
535

Acclamatio gratulatoria

AD

ILLUSTRISSIMOS ET CELSISSIMOS
Principes ac Dominos:

D. JOHANNEM
ERNESTUM RECTOREM
ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFI-
CENTISSIMUM:

Et

D. FRIDERICUM
Fratres Germanos,

*Duces Saxonie, Landgravios Thuringie Marchiones Misnia,
Dominos nostros Clementissimos.*

Cum Jenæ primam studiorum suorum censuram
subirent alacriter, & spes omnium feliciter
superarent

Die 14. & 15. Decemb. Anno 1608.

Debitæ subjectionis ergo Scripta

à

M. WOLFGANGO HEIDERO,

JENÆ

TYPIS LIPPOLDIANIS

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



D *Atris imago tui Princeps ERNESTE
JOHANNES,
Et FRIDERICE tuæ Matris imago,
Duces,*

*Quos circum niveis volat inclyta Gratia pennis,
Ambrosiusq; decor, purpureusq; pudor.
Aureoli Fratres: quis enim, nisi rusticus amens,
Non amet hæc Patrii lumina bina soli?
Summus amor vobis, Pietas, & amabilis artes
Principis à teneris noscere: summus amor.
Summus honor vobis, appensa rependere justo
Lancis ad examen pondere: summus honor.
Bruma dies gelidi contraxerat orbis: agebat
Sol per terga vagos egocerotis equos:
Legati patriæ terni mittuntur ab aulâ,
Insignes meritis & gravitate viri:
Ille libellorum mitisq; piusq; Magister
Spelthius æterno dignus honore senex.
Et resonans blando sacra Langius ore sacerdos,
Qui docet, & primus quod docet, ipse facit.*

A 2

Et

Et Vinthere fides tua, quâ formare tenellos
Oenagora pergis Bartholomæe Duces.
His se Teutlebius vir maximus addit, & illi,
Quadrifidus nostræ quos dedit ordo scholæ.
Tum placido Fratres aptè rogitante Magistro,
Per solitas referunt quæ didicere vices.
Et primò fidei summam, resonabilis Echo
Nomina cui fecit, per volitare citis
Incipiunt animis celeres, minimoq; labore.
Hæc elementa piæ religionis erant.
Per loca mox eadem patulo magis æquore currunt,
Et benè conficiunt hoc pietatis iter.
Quisquis es ô Princeps: sapiens cupis esse, beatus
Esse cupis, patriæ vis pater esse tuæ:
Esto pius: pietas complectitur omnia. Sed quid
Absq; Dei pietas cognitione? Nihil.
Nec mora, Grammaticæ per iniqua, per æqua fe-
Et calcant dubiæ scrupea saxa viæ, (runtur,
Sed nunquam titubante gradu, sed poplite recto.
Materiam vates Pœnus habere dedit.
Heu mihi: Grāmāticæ, mala Socratis uxor, egestas
Sunt tria, quæ magnis annumeranda malis.

Ut

Ut tamen hanc primam tristis sapor inficit artem,
Sic superat liquidos jam benè nota favos.
Insuper Ausonia pangunt schediasmata lingua,
Et reddunt Latio patria verba sono.
Tum memorant veterū monitus & dicta parentū,
Quæ vel Apollinei carminis instar habent.
Præteriti responsa lubens edentula secli
Disce puer: grandes hæc meminere senes.
Quin & justa boni quæ munia Principis addunt,
Ad patrios dudum quæ tenuere focos.
His Sleidane, licèt duro fremat improbus ore
Surius, historias applicuere tuas,
Quæ Duce Muncero clades & tristia narrant
Sparsa per invitos funera plebis agros,
Leidensisq; tuas Rex ô vilissime turbas.
Quin capis abjectam perditæ Sartor acum,
Principibusq; viris gladios, & sceptræ relinquis.
Historiæ multas lectio fundit opes.
Præstat ut efficiant aliena pericula cautos:
Quàm miser ut propriis erudiare malis.
Quid lingua referã Charitas, quid frontis honorẽ?
Dic age quid possis carpere Mome? taces.

Scilicet hos fructus tulit hæc ætatula Fratrum.
Quæso brevi quantos firma juventa dabit?
Quanta futura Viris prudentia? quanta senectæ,
Quæ fœtus animi percoquit una sui?
Assensu gravium plaudens fremit ordo Virorum,
Et lachrymis udas immaduere genas.
Agnovere Deum, stimulo virtutis ævitæ
Pectora magnorum qui fodit ipse Ducum,
Atq; tuam CHRISTIANE fidem mitissime Prin-
Hos qui Filiolos more Parentis amas, (ceps,
Et properè spargi pietatis & artis amico
Rore jubes. Curæ res ea tota tua,
Et Matris viduæ, cui tristia funera rapti
Una levat soboles tam generosa viri.
Hoc operose tuus labor ô Caspare peregit,
Teutlebius magno qui Patre natus eques
Principis, ut par est, mores utriusq; figuras,
Et premis attentæ, qua potes arte, manus.
Non tibi justus honos, non debita præmia deérunt.
Si qua venit dignè gloria, grata venit.
Hæc eadem Major tibi sollicitudo Johannes,
Propitii vates ô venerande Dei.

Pecto-

*Pectora tu verâ pietate sequacia fingis,
Et flectis geminos ad sacra pura Duces.
Major es: at faciet DEUS, ut sis maximus olim
Annis, & meritis, pervigiliq; fide.
Necte cura minor coquit Hortledere, Magistri
Qui grave suspensio pectore munus obis,
Litterulisq; tuis mollis, ut oportet, Alumnos,
Et monstrans failem, quâ licet ire, viam
Das operam vitæ discant, nec anilia curent
Somnia, quæ miseris exitiosa scholis
Pontica suffocant teneram velut herba juventã.
Sit bene qui doceat: qui bene discat, erit.
Aula tibi grates referet, tibi Patria reddet,
Te manet officii vivida fama tui.
Per te, quæ latuit timidis offusa tenebris,
Historia intrepidum tollet ad astra caput.
At vos illustres animæ duo sidera Fratres,
Fratres SAXONICÆ fulcra gemella DOMUS,
Pergite quod facitis. Vos insitus excitet ardor,
Plurima qui diæ semina mentis habet.
Unica sit vestra Pietas moderatio vitæ.
Non potis est ullus, qui pius, esse miser.*

Litte-

110 335 9A

Litterulis plures impendite gnauiter annos,
Nam datur ad Musas currere longa via.
Assiduo lapides cavat improba guttula lapsu.
Dat quæsitæ πόντος: fert repetita χερών.
Sit vobis animus semper benè velle mereri,
Et mala constanter, si qua ferenda, pati.
Arguit ingentes animos patientia: nescit
Imperitare, nihil qui tolerare potest.
Cætera curabunt superi. Deus omnia curat.
Sors bona vos niveis certa reuisset equis.
Sospitet hunc annum, vitæq; perennia vobis
Tempora, qui tempus temperat omne DEUS.

FINIS.



ULB Halle 3
004 968 492



f

1017





H. 67, 36.

Wc
535

ILLUST

D. JO
ERNE S
ACAD

D. FR

Duces Saxonie

Cum Jenæ p
subire

Di

Debitæ

M. W O

M

M

M

ia,

ram

